



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Vita Et Epistolae Formosi Papae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## VITA ET EPISTOLÆ

## FORMOSI PAPÆ.

ANNO  
CHRISTI  
832.

An & quan-  
do Formo-  
su. Stephano  
successe-  
tit?

Marianus  
& Sigeber-  
tus redar-  
guuntur.

Formosus  
qualis?

**F**ORMOSVS religione, morum integritate, atque doctrina laudatissimus electione tumultuaria eleuante se contra eum Sergio diacono anno Domini DCCCXCI. creatus est pontifex vere optimus, vt constat ex Luitprando. Eundem Stephano V. immediate surrogatum fuisse, præter Luitprandum & Flodoardum libro quarto capite i. asserunt omnes antiqui Romanorum pontificum scriptores, omniaque veterum Græcorum antiqua monumenta. Nam in codice Columnensi Græco supra sèpius citato, vbi redarguitur Pseudosynodus Photiana, successorumque Nicolai & Hadriani Romanorum pontificum series texitur, hæc habentur: Post Hadrianum hunc Ioannes; Post Ioannem Marinus; Post Marinum Hadrianus; alter deinde Stephanus V. deinde Formosus, post hunc alii quatuor, videlicet Bonifacius, Stephanus, Romanus & Theodorus, & post hos Ioannes, qui hæc scripsit. Quod igitur Leo Ostiensis historiæ Cassinatis libro primo capite quadragesimo octavo Formosum Hadriano subiungit, & Stephano V. anteponit, nisi fortasse intermediis omissis de Stephano VII. qui vulgo sextus nuncupatur, intelligi velit, erroneum est. Marianus vero & Sigebertus, eorumque imitatores recentiores historici, non nisi per somnum excogitasse evidentur, quod Agapetum & Basilium duos imaginarios pontifices nunquam visos vel auditos Stephano eiusque posteris anteponunt. Hunc Anastasius in Nicolao magnæ sanctitatis episcopum nominat. Hincmarus Rhemensis archiepiscopus teste Flodoardo libro tertio historiæ Rhemensis capite 20. eidem scripsit, collaudans eius quam audierat sanctitatis & scientiæ famam, quærensque eius habere familiaritatem: & vt ipse profane dignaretur orare, vicem rependere spondens, & quædam ei munera mittens, vt sui memoriam in orationibus habeat. Episcopatum Portuensem multo tempore pie & sancte administrauit, adeo vt iudicio sanctissimi Nicolai papæ I. dignus habitus fuerit, qui ad Bulgaros fide

orthodoxa imbuendos apostolus mitteretur: cumque ibi-  
dem annis plurimis degisset, gentemque illam ad Christi  
fidem conuertisset, maiorem sibi inde gloriam compara-  
uit. Hunc Ioannes papa VIII. qui magno suo dedecore res  
suorum prædecessorum bene dispositas visus est auersari:  
(nam Photium Constantinopolitanum & Zachariam Ana-  
gnia episcopum, quos Nicolaus & Hadrianus prædece-  
sores Ioannis sacerpius damnauerant, vixque ad pœnitentiam  
vel laicam communionem recipiendos esse iuste statue-  
rant, ille non tantum restituit, verum etiam ipsum Zacha-  
riam Anagninum honorifico munere bibliothecarii apo-  
stolicæ sedis auctum, consiliarium suum fecit, eique lega-  
tiones plures credidit,) episcopatu depositu, degradatum,  
& ad sortem laicorum redactum ab Urbe relegavit, iurare-  
que coegit, se nunquam episcopatum suum repetitum;  
sed laica communione contentum deinceps quieturum.  
Qua de causa Ioannes in eum hac ratione animaduerterit,  
non constat, nisi quod fortasse ob res male gestas, a For-  
moso correptus, & admonitus, ipsum velut rebellem ex  
albo episcoporum eradendum esse putauerit. Marinus  
Ioannis papæ successor, virum meritis supra recensitis in-  
signem apostolatus honore condecoratum, hac ignomi-  
nia obrutum, vt par erat, erexit, erectumque haud dubie  
aiuramento per vim & metum extorto absoluit & pristinæ  
dignitati restituit. Obtemperans sententiæ & mandato  
pontificis Formosus episcopatum resumpsit. Cumque hoc  
potissimum tempore pessimorum tyrannorum inuasione  
Romana ecclesia grauissime affligeretur, ipse vero For-  
mosus Portuensis episcopus toto terrarum orbe, vt supra  
ex Flodoardo & Luitprando ostendimus, sanctissimus si-  
mul & doctissimus haberetur & coleretur, bono totius  
ecclesiæ catholicæ, prout sacerdotum fuerat, ex episco-  
patu Portuensi ad moderandas habenas totius orbis catho-  
lici translatus est ad episcopatum & pontificatum Roma-  
næ ecclesiæ, cuius initio epistolam illam, quam Styianus  
destinauerat ad Stephanum V. priusquam Romam affer-  
retur defunctum, accepit, aliamque infra extantem redi-  
didit. Valde sollicitus fuit, vt Carolum Simplicem filium  
Ludouici Balbi legitimum Galliarum regni heredem in  
regno stabiliret, vt videre est ex epistolis quas hac de re

Quid a  
Ioâne VIII.  
passus?

Marinus  
Formosum  
restituit.

Formosus  
cur ponti-  
fex factus  
ex Portuen-  
si episcopo?

H h h i j

Quos imperatores coronauerint?

apud Fulconem. Vvidonem qui ante 15. annos sibi nomen imperatoris usurpauerat, vt ex quodam antiquo diplomate docet Baronius, anno pontificatus sui 2. filium vero eiusdem Vvidonis Lambertum sequente anno, occidentis imperatores legitime creauit, vnxit & coronauit. Quare non aliter quam per surreptionem, vt acta Concilii Romani sub Ioanne IX. testantur, accidisse potuit, quod idem pontifex Formosus anno pontificatus sui sexto & ultimo Arnulphum vocauerit, eique coronam imperii occidentalibus imposuerit. Corrigendus est igitur communis error chronographorum, qui contra præscriptum sacrorum Canonum, & auctoritatem sedis apostolicæ, post Carolum Caluum, Vvidone & Lamberto omissis, in serie occidentalium imperatorum enumerant Arnulphum, qui legitime nunquam electus & coronatus, imperatoris titulo nunquam condecorandus erat. Per electiones & coronationes supra enarratas ciuium Romanorum inuidiam & odium maximum incurrit; eorumque viuens simul & mortuus grauissimas iniurias, contumelias ac sacrilegia sustinuit.

Arnulphus chronologia imperatorum Romanorum eximendus est.

De iis quæ a Romanis ciuibus passus est viuens, Luitprandus lib. 1. cap. 8. his verbis enarrat: Hoc in tempore Formosus papa religiosus a Romanis vehementer afflatabatur, cuius & hortatu rex Arnulphus Romam aduenerat. In cuius ingressu vlciscendo papæ iniuriam multos Romanorum principes obuiam sibi properantes decollari præcepit. Quas iniurias, quæve probra successores illius Stephanus VI. & Sergius III. vel per facti ignorantiam, vel per summum sacrilegium eidem pontifici intulerint, quomodo exhumatus & tribus digitis mutilatus sit, iteratis & repetitis ordinibus eorum, quos Formosus ordinauerat, dicam infra in vita Stephani VI.

Formosus post mortem indicatus & exhumatus.

Quando obiit?

Anno Domini 896. pontificem a scriptoribus huius temporis valde commendatum obiisse, postquam 6. annis sedem pontificiam tenuisset, testantur Regino, Luitprandus, & Adamus Bremensis. Errant ergo recentiores, qui anno 895. anno pontificatus sui quinto, eumdem ex hac vita decessisse scribunt. *Hæc Baronius tom. x. annalium.*

EPISTOLA I.  
FORMOSI PAPÆ

AD STYLIANVM NEOCÆSAREÆ EVPHRATESIÆ  
PROVINCIAÆ EPISCOPVM.

*Respondet literis ad Stephanum papam V. missis.*

**L**ITERAS sanctitatis tuæ ad apostolicam missas, &c. Ita decurtatæ in codice habentur, & post multa breuitatis causa omissa hæc sequuntur: Petis misericordiam, & non scribis quomodo sit exhibenda, neque cui, sæculari videlicet vel sacerdoti. Si enim sæcularem dixeris, venia dignus is erit, tamquam a sæculari dignitatem adeptus: si vero sacerdotem dicas, non adhibes mentem: quod dignitatem præbere non potuit qui dignitatem non habebat. Nihil potuit dare Photius præter damnationem quam habuit, per impositionem obliquæ manus; & damnationem præbuit. Quomodo dignitatem potuit accipere qui particeps factus est condemnato? Quoniam pro ordinato misericordiam obtinere petis, animaduerte quod ordinatorem potius foues, iuxta Domini sacrum eloquium: *Vel facite arborum bonam & fructus eius bonos: vel facite arborem malam, & fructus eius malos. Numquid potest ficus tuam producere, vel vitis ficus?* Oportebat igitur istam ecclesiam, in qua talia comprehenduntur facta, grauissimas dare pœnas, ut huiusmodi pœnis vestra ecclesia purgaretur. Continet autem nos benignitas & fratrum dilectio, quæ nobis persuadet ut alia quidem toleremus, alia vero omnino e medio tollamus. Quapropter misimus et latere nostro religiosissimos episcopos Landenulphum Capuanum, & Romanum, quibuscum sanctitatem etiam tuam hortamur conuenire, nec non Theophylactum metropolitanum Ancyrae, & Petrum fidelem nostrum: ut ita ante omnia in Photium præuaricatorem & legum euersorem sententia a prædecessoribus œcumenicis pontificibus ante omnia synodice prolata, nec non a nostra humilitate confirmata, perpetuo tempore immutabilis permaneat. Cum iis vero qui a Photio fuerint ordinati misericorditer nos gerentes, decernimus ut oblatis libellis se deliquisse fateantur, & pœnitentia

*Matth. 12.*

veniam deprecentur, pollicentes se nunquam tale quid commissuros. Deinde his peractis, quæ sequuntur omnia, quæ nostris literis mandata conspiciuntur, vna cum prædictis viris sanctitas tua peragat, nec aliquid addendo, nec diminuendo aut commutando. Ita enim & a nobis, & a reuerentia tua in communionem fidelium receptis ut laicis, scandalum delebitur. His vero peractis, si quis ipsum communicare renuerit, nouerit seipsum a communione nostra alienum fore. In Domino valete.

## EPISTOLA II.

F O R M O S I P A P Æ  
AD EPISCOPOS ANGLIÆ.

De ecclesia Anglicana bene ordinanda.

*Fratribus & filiis in Christo omnibus episcopis Angliæ Formosus.*

\* **A**UDITO, nefandos ritus Paganorum partibus in ve-  
stris repullulasse, & vos tenuisse silentium, vt canes  
non valentes latrare: gladio séparationis a corpore Dei ec-  
clesia vos ferire deliberaimus. Sed quia, vt nobis dilectus  
frater noster Pleimundus intimauit, tandem euigilastis, &  
semina verbi Dei olim venerabiliter iacta in terra Anglorum  
cœpistis renouare: mucronem \* deuorationis retrahentes,  
Dei omnipotentis & beati Petri apostolorum prin-  
cipis benedictionem vobis mittimus, orantes, vt in bene  
cœptis perseuerantiam habeatis. Vos enim estis, fratres, de  
quibus loquens Dominus, inter alia inquit: *Vos estis sal ter-  
ræ, & si sal euanuerit, in quo salietur?* & iterum: *Vos estis lux  
mundi:* significare volens per verbi sapientiam condiri men-  
tes hominum a vobis debere; & in moribus & in vita ve-  
stra bonæ actionis studium quasi lumen apparere fidei, per  
quod gradientes ad vitam, quomodo caute ambulent,  
videant, vt ad promissionem æternæ beatitudinis sine of-  
fensa currentes, valeant peruenire. Nunc accingimini ergo,  
& vigilate contra leonem, qui circuit quærens quem de-  
noret, & non patiamini ulterius in regione vestra, penuria  
pastorum Christianam \* fidem violari, gregem Dei  
vagari, dispergi, dissipari: sed cum unus obierit, alter qui  
idoneus fuerit canonice protinus subrogetur. Nam se-  
cundum legem plures facti sunt sacerdotes, eo quod morte  
pro-

*Matt. 5.*

*1. Petr. 5.*

*Hebr. 7.*

\* Auditis  
nefandis  
ritibus Paga-  
norum,

\* devo-  
tationis

\* religio-  
nem

pro-

\* & in  
spiritu  
Christi  
ecclesiam  
futuram  
fore per-  
manen-  
tiam ad fi-  
nem ve-  
que se-  
cili pro-  
spiciens  
prohiberentur permanere. Quod David considerans, \* ait:  
*Pro patribus tuis nascentur tibi filii, confitues eos principes super omnes terram.* Nulla itaque mora sit subrogandi alium, cum quilibet sacerdotum ex hac vita migrauerit; sed mox ut illi, qui primæ sedis principatum gerens, inter vos ceteris episcopis præesse dignoscitur, fratris obitus fuerit denuntiatus, facta electione canonica, alter consecratus succedat. Qui autem inter vos principatum tenere debeat, quæve sedes episcopalی ceteris præpolleat, habeatque primatum, ab olitanis temporibus notissimum est. Nam, ut ex scriptis beati Gregorii, eiusque successorum tenemus, in Doroberniæ civitate metropolim sedemque primam episcopalem constat esse regni Anglorum, cui venerabilis frater noster Pleimundus nunc præesse dignoscitur; cuius honorem dignitatis nos nullo pacto imminui permittimus, sed ei vices apostolicas per omnia gerere mandamus.

Et sicut beatus Gregorius papa primo vestræ gentis episcopo Augustino omnes Anglorum episcopos esse subiectos constituit, sic nos prænominato fratri Doroberniæ siue Canterburyæ archiepiscopo, eiusque successoribus legitimis, eamdem dignitatem confirmamus, mandantes, & auctoritate Dei, & beati Petri apostolorum principis præcipientes, ut eius canonicis dispositionibus omnes obedient; & nullus eorum quæ ei, suisque successoribus apostolica auctoritate concessa sunt, violator existat. Si autem qui quis hominum contra hæc aliquando niti, ac immovere ista tentauerit: sciat se procul dubio multandum fore graui anathemate, & a corpore sanctæ ecclesiæ, quam inquietare molitur, perpetuo, nisi resipuerit, separandum.